…s. Campius

…annis Lucerna super can…
…labrum posita.

(1636)

21

LVCERNA

Super Candelabrum posita

453.

QVAM

Admodum Reueren: in Christo Patri,

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO,

S. Th. D. ac Profeſsori, S. Floriani

PRÆPOSITO,

Almæ Academiæ Cracouien:

PROCANCELLARIO

longè digniſsimo:

DIE FESTO
S. MARTINI
NATALITIORUM AUSPICIORUM
&
Honoris gratiâ,

M. IOANNES CYNERSKI RACH-tamouius, Coll: Min: Ordin. eloqu: Professor.

PATRONO
CLIENS
MÆCENATI
VATES
D. D. D.

Athenæus lib: 4. c. 6:

Regiam cænam Rex proponit, quæ ſemel tantum ſingulis annis paratur, eo die quo Rex natus eſt: quæ cæna Perſarum quidem idiomate Tycta, at Cræcè Αυτεον appellatur.. Tunc caput purgat, Perſiſque mittit munera.

LVCERNA SVPER CANDELABRVM POSITA.

NObilis illa dies, niueoque notanda lapillo,

Quâ tuus Antistes, meritis & nomine clarus

MARTINVS, pulchrâ cæli in regione triumphat,

Ecce rediit MARTINE VADOVI, nosq; beauit

Lætitiâ, parui qui sumus in ordine Vates.

Et meritò. quis enim nisi demens gaudia sancto

Auocet à festo, & multum plaudente Lycæo?

Quæ nobis poterit laus vnquam, & gloria maior

Accumulari, quàm senibus candore benignis

Cum floret noster sapiensq; sacerq; Senatus?

Inquo Tu Venerande Pater, viuisq; vigesq;.

Er-

Ergo ego quottidie, summis dum laudibus astris
Aequari nomenq́; tuum, laudesq́; perennes
Audio, & admiror, taciti non pectoris vltra
Hanc volui cælare mei, sed prodere flammam.
O quoties Diuos per vota solennia posco,
Vt sanus valeas, nullo morboq́; grauatus,
Publica Concilio diducas commoda nostro;
Vt Professorum iustumq́; piumq́; decusq́;
Et libertatis solidâ teneatur origo.
Tu ingeniorum mordaces blattas, tineasq́;
Excutis à gremio Phœbi, Musasq́ coronas;
Tu frangis cupidos rumorum Bambaliones,
Tu fucos alienorum bruchosq́; laborum,
Auctoritate premis, speciosaq́; spectra coërces,
Ne teneris noceant, aut insidientur alumnis.

Te puerum placido nascentem Iuppiter ore
Et bona Calliope aspexit, tibi risit Apollo.
Scit benè qui spirat blandos Parnassus odores,
Scit Rhodanus, scit Roma potens, scit Sequana mentem
Doctrinamq; tuam, quam tu es testatus ibidem
Egregijs Virtute Viris: Scit nobile Regnum
Sarmaticum merita intima, queîs bona fama paratur.

Nam veluti nequeunt nocturni in turribus ignes
Cælari, aut patrijs sub lucem in montibus arces;
Ignea sic radijs, quæ tendit in ardua virtus
Tecta latere nequit; longis sed nota sub oris
Omnia perfundit, faculis & luce serena,
Humanasq; sui mentes inflammat amore.

Quanquam etenim Virtus sibimet pulcherrima lux est,
Nec vapidis carptim lustratur ab ignibus illam,

Hanc

Attamen inuitam blandè vestigat & vltro
Ambit honos, dabit officiosus amicus honorem,
Quem verus candorq́; fidesq́; probata parârit.
Qua ratione pijs Musis indictus abires?
Quarum tu merito Comites dignaris honore?
Quas reuerenter amas, redamantes: hinc tibi texunt
Aeternùm virides amaranti è flore Coronas
Vt te nulla dies venturis eximat annis.

Ergò nunc niueis ornentur limina velis,
Clara Coronentur densis altaria lychnis,
Lux poscit festis lucem geminata lucernis.
Sis fælix ô perpetuâ dignissime uitâ
MARTINE excellens animi, Clarissime Doctor.
Nec nisi sat serò sinuosa volumina Olympi
Conscendas, Hospes Superis gratissimus ipsis.